



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. VIII. In furto amasse se quoque eam voluptatem, quam faciebat consortium simul peccantium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## CAP. VIII.

*In furto amasse se quoque eam voluptatem, quam faciebat consortium simul peccantium.*

I. **Q**uem fructum habui miser aliquando in iis, quæ nunc recolens erubesco, maxime in illo furto, in quo ipsum furtum amavi, nihil aliud: cum & ipsum esset nihil, & eo ipso ego miserior? Et tamen solus id non fecissem, sic recordor animum tunc meum, solus omni modo id non fecissem. Ergo ibi amavi etiam consortium eorum, cum quibus id feci. Non ergo nihil aliud quam furtum, amavi: imo vero nihil aliud, *a* quia & illud nihil est.

2. Quid est revera? quis est, qui doceat me, nisi qui illuminar cor meum, & discernit umbras ejus? quid est, quod mihi venit in mentem querere, & discutere, & considerare? Quia si tunc amarem poma illa, quæ furatus sum, & eis frui cuperem: possem etiam solus, si satis esset, committere illam iniquitatem, qua pervenirem ad voluptatem meam: nec *b* confricatione consciorum animorum, accenderem prurimum cupiditatis meæ. Sed quoniam in illis pomis voluptas mihi non erat, ea erat in ipso facinore, quam faciebat consortium simul peccantium.

## NOTÆ.

*a* Quia & illud nihil est) non enim est verum bonum consortium pravorum, sed apparens: habens privationem veri boni, etsi non ametur nisi sub specie veri boni.

*b* Confricatione

b *Confricatione consciorum animorum*) ut caro scabie laborans confricatione delectatur: ita socii improbi, familiaritatis & mutuæ conspirationis dulcedine, instigantur ad ea, quæ soli non facerent.

## CAP. IX.

*Se prava societatis titillatione impulsus, fecisse furtum, quod non fecisset solus.*

1. **Q**uid erat ille affectus animi? certe enim plane turpis erat nimis: & vix mihi erat, qui habebam illum. Sed tamen quid erat? *Delicta quis intelligit?* Ritus erat Ps. 18, 13. quasi titillato corde, quod fallebamus eos, qui hæc à nobis fieri non putabant, & vehementer nolebant. Cur ergo eo me delectabat, quo id non faciebam solus? An quia etiam a nemo facile solus ridet? nemo quidem facile. Sed tamen etiam solos, & singulos homines, cum alius nemo præsens est, vincit ritus aliquando: si aliquid nimis ridiculum, vel sensibus occurrerit, vel animo.

2. At ego illud solus non facerem, non facerem omnino solus. Ecce est coram te Deus meus, viva recordatio animæ meæ. Solus non facerem furtum illud, in quo me non libebat id, quod furabar, sed quia furabar: quod me solum facere prorsus non liberet, nec facerem. O nimis inimica amicitia, seductio mentis investigabilis! ex ludo & joco nocendi aviditas, & alieni damni appetitus, nulla lucri mei, nulla ulciscendæ libidine; sed cum dicitur: eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem.

## NOTÆ.

a *Nemo facile solus ridet, &c.*) ritus enim ex admiratione